

*Exemplum alicet litterarum ex Alemania ad  
Magnifice Domine;*

Accepimus litteras vestras, ex quibus pariter et ex Epershofer germano earumdem latore, . . . operam pro liberatione affinium et sodalium nostrorum, qui Venetiis captivi detinentur, a vobis tanta industria navatam, vosque illorum redemptionem obtulisse intelligimus. Vobis idcirco condignas gratias agimus, condigniores, ubi opportuna sese obtulerit occasio atque id honeste facere poterimus, relaturi. Qua de re, supra huiuscmodi negotio cum Sacratissima Cæsarea Majestate agimus, ab eaque impetravimus litteras patentes quibus Majestas Sua concedit illustri domino viceregi omnimodam facultatem hujusmodi liberationis, tam germanorum, quam hispanorum vobiscum seu cum Illustrissimo Dominio Veneto finaliter tractandæ, quemadmodum ex ipsarum litterarum exemplari præsentibus alligato largius intelligetis. Vosque ideo honorifici militaris instituti venerando intuitu plurimum adhortamur, præsertim quum vos disciplinæ bellicæ observantissimi, milites in tam misera captivitate detineri equis oculis in-

spicere non posse minime equidem dubitamus, velitis cum Illustrissimo Dominio Veneto, seu alias ubicunque facto opus fuerit, tam solerti diligentia cum tanto affectu elaborare atque efficere ut prædicti captivi, tam germani et hispani, quam etiam itali, a captivitate eo modo semel tandem liberentur. Quem a suprano-  
minato Epershofer . . . latius percipietis; quod si quid nostris unquam viribus eniti, idque cum Sacratissima Cæsarea Majestatis ut nostro honore efficere poterimus, ubicunque comodum et ornamentum vestrum postularit, condigna vicissitudine recompen-  
sare non erimus immemores.

Datae Inspruch, die tertio Februarii 1515.

Sacratissimæ Cæsareæ Majestatis nos curiales ro-  
gavimus illustres barones dominum Georgium de Firmiano capitaneum in Ortemburg, dominum Jo-  
annem de Auersperg capitaneum Carniolae, ac ma-  
gnificum dominum Georgium de Emershofen magi-  
strum stabuli, ejusdem Cæsareæ Majestatis consiliarios, ut in præmissorum omnium fidem manibus  
propriis se subscriberent, ac præsentes anulorum  
ipsorum impressione corroborarent.

FINE DEL TOMO DECIMONONO.